

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 86. (*Neovidensis* 1806. Nro. 80.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Epistola ad Cultissimum, de Philosophia
bene meritum, Liberi Baronis Candidi
Pædagogum, Doctissimum Henricum
Panglos data in Elysium.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Menm. - Die Veneris 17. Octob. 1806 (*Neov.* 3. Octob.)

*Doctissime, in optimo mundo versatissime, et in
philosophico educationis negotio experientissime
Henrice Panglos!*

Gratissimum tibi futurum existimo aliqua
ex iis intelligere, quae cum tuo systemate
consentiunt, & quae forte adhuc hodie pro-
bant, te optimum jus habuisse hunc nostrum
mundum, tanquam optimum omnium possi-
bilibium mundorum propugnandi, demonstran-
di, & in circulo Vestphalico, in hac a per-
nis celeberrima regione, disseminandi. Da-
bis veniam, si absque longis, & plerumque
inutilibus prolegomenis rem ipsam fuero ag-
gressus, & factum, uti illud nuperrime ac-
cepi, hic descripsero. Ita autem sonat:

Quidam bibliopola (dicunt ephemerides *Gazette de France*) non ita pridem exoptatissimam rem praestitit humano generi; ex operibus praeciarissimi quondam scriptoris Fontenellii eruit felicitatem, curavit typis mandandam, ut jam illam indoctissimus quisque apprehendere possit. Infelix, qui in hoc optimo mundo suam felicitatem avidissime quae-
rebat, potest eam sibi 15. cruciferis comparare. Jam tenet felicitatem in sacco, quae felicitissimum reddere valet.

De felicitate, et optimo mundo multa edita sunt volumina; Omnes nationes suo idiomate, et scriptis conabantur homines omni felicitatis genere cumulare. Sed quid factum his perlectis? — Felicitas mansit mysterium, et libri, qui alioquin tantum vana, et a longe petita suppeditant consolationis argumenta, nemini attulerunt prosperam fortunam. Argumentum hoc captivum est, cum voluptate de eo disserimus, quia a nemine noscitur; contra, si mentio fiat infelicitatis, tot idaeae, atque exempla se offerunt, ut de miseriis humanae vitae in hoc optimo mundo magnificentissimae, et ad commovendos animos aptissimae, possint dari descriptiones. Bonus etiam Helvetius scripsit de felicitate; At ille forma erat praeditus praestanti, amore dignus, et quod bene notandum, annuos percipiebat reditus ducenta millia librarum. Non est cuique datum ad talem Helvetianam eluctari felicitatem.

Joannes, Jacobus Russovius felicitatem collocavit in ignorantia lectionis, et scriptio- nis; O veram Hottentotaram felicitatem! Veteres Philosophi felicitatem in ducentas, vel trecentas sectiones partiti sunt: At recens impressum Fontenellii opusculum de felici- tate, quod a tam multis legitur, meretur pro- pterea attentionem, quod felicitas possit emi 15. cruciferis. Quanta felicitas, tanti mo- menti rem, tam vili pretio posse habere!

Quaecunque meditatione versem optimum hunc mundum, & felicitatem, longo rerum usu edoctus nil reperio praestabilius ad con- sequendam felicitatem sequenti documento:

O homo! quis quis sis, conare evitare sexcentos morbos, qui te ex insidiis circum- stant, ut tuum corpus adoriantur, frangant, & sepeliant; Da operam, ut obliviscaris te esse ad mortem damnatum, te in doloribus properare ad finem, quem praesentia medi- corum, Chirurgorum, & Pharmacopaeorum acerbiorum adhuc reddet, & magis amarum. Age, ut tibi in hoc mundo cum pravis, stu- pidis, morosis, iracundis, rabulis, nequam hominibus, semidoctis, garrulis, & cum jus- culo ultra modum salso bene conveniat. Contende tali vivere saeculo, quod non sit ita philosophicum, ut cogaris tuam domum deserere, & cum Biante oberrare. Enitere tantum promereri, ut tibi frustum carnis, & duae lagenae vini apponantur: ut hyeme ca-

est, hos apparatus fieri contra Galliam, & Rhenanam Confoederationem. Inquirimus in motiva, sed ea non assequimur. Litterae, quae nobis a Sua Borussia Majestate redduntur, redolent amicitiam; Regius Borussicus negotiorum externorum Minister nostro extraordinario legato declaravit, a Sua Majestate recognosci Rhenanam confoederationem, nihilque habere, quod contra factas in Australi Germania mutationes exciperet. Est forte apparatus bellicus Borussiae consectorium Russicae coalitionis, vel nonnullorum duntaxat Factiosorum Berolinensium, & inconsiderantiae ipsius Aulae? Intenditne Hassos, Saxones, & Hanseaticas civitates cogere ad ineundum foedus, a quo duae postremae gentes videntur abhorrere? Fortasse Borussia vult nobis ipsis necessitatem imponere revocandi nostram declarationem, a Civitatibus Hanseaticis nullam posse iniri peculiarem confoederationem, hoc enim exigit commercium Galliae, & Germaniae Australis; sed etiam Anglia nobis manifestavit, omnem mutationem circa hodierna Hanseaticarum Civitatum negotia, novum futurum impedimentum pacis universalis? Praeter haec ita mentem nostram aperuimus, ut Principibus, qui ad Rhenanum foedus non referuntur, liberum sit suum arbitrium sequi, seque plene liberos agnoscere, non trahemus eos ad nostram confoederationem, sed nec patiemur fieri aliquid, quod eorum voluntati, politicae, & populorum utilitati adversum

lido cubili, tempore pluvio bonis ocreis, & etiam pulchro, & mundo vestitu uti possis. Cave, ne quidquam audias de rebus politicis, de bellis, de rerum conversionibus, ne loquaces mendacesque volvas ephemerides, & inanes libellos, ut te oblivio capiat infortuniorum. Adhibe diligentiam, ut unum, aut ad summum duos bonos, & intimos tibi concilios amicos, quibuscum possis fallere tempus, & qui tecum ejusdem sint opinionis. Omnem denique move lapidem, ut in omnibus adversis casibus magno sis animo, & hilari; ut tristia praeterita, quae emendari nequeunt, ex memoria deponas, ut animi alacritatem, jucunditatemque retineas, & tunc poteris affirmare, te philosophiam felicitatis invenisse. Quod si autem respondeas, haec fieri non posse, repono: — Itaque mane infelix in hoc non optimo, sed pessimo mundo, & desine in scriptis, aut fabellis Romanensibus quaerere felicitatem. Amen.

Quid ad haec, Doctissime Henrice Pangelos Vestphalicae memoriae! tua de optimo mundo philosophia? Ut in statu, in quo sumus, persistamus, & rerum novarum commentarios, uti alias, lectitemus. Quocirca:

Ad acta Rhenani foederis pertinens scriptum Imperatoris, & Regis Napoleonis missum ad Regem Bavarorum:

Mi Domine Frater! Inde a mense, & amplius armat se Borussia, & toti orbi notum

est, hos apparatus fieri contra Galliam, & Rhenanam Confoederationem. Inquirimus in motiva, sed ea non assequimur. Litterae, quae nobis a Sua Borussica Majestate redduntur, redolent amicitiam; Regius Borussicus negotiorum externorum Minister nostro extraordinario legato declaravit, a Sua Majestate recognosci Rhenanam confoederationem, nihilque habere, quod contra factas in Australi Germania mutationes exciperet. Est forte apparatus bellicus Borussiae consectorium Russicae coalitionis, vel nonnullorum duntaxat Factiosorum Berolinensium, & inconsiderantiae ipsius Aulæ? Intenditne Hassos, Saxones, & Hanseaticas civitates cogere ad ineundum foedus, a quo duae postremae gentes videntur abhorrere? Fortasse Borussia vult nobis ipsis necessitatem imponere revocandi nostram declarationem, a Civitatibus Hanseaticis nullam posse iniri peculiarem confoederationem, hoc enim exigit commercium Galliae, & Germaniae Australis; sed etiam Anglia nobis manifestavit, omnem mutationem circa hodierna Hanseaticarum Civitatum negotia, novum futurum impedimentum pacis universalis? Praeter haec ita mentem nostram aperuimus, ut Principibus, qui ad Rhenanum foedus non referuntur, liberum sit suum arbitrium sequi, seque plene liberos agnoscere, non trahemus eos ad nostram confoederationem, sed nec patiemur fieri aliquid, quod eorum voluntati, politicae, & populorum utilitati adversum

foret. Haec tam justa declaratio offenderit Aulam Berolinensem, intendique nos cogere ad eam retractandam? Ex his motivis quod possit esse genuinum, nescimus divinare, tempus deteget arcanum hujus tam singularis, & inexpectati modi agendi. Integro mense rem dissimulavimus, verum conniventia nostra audaciores fecit qui Aulam Berolinensem volunt in maxime temerarium certamen praecipitare. Quidquid sit cum bellico Borussiae apparatu, produxit casum in tractatu 12 Julii concluso contentum; Quare necessarium judicamus, ut omnes Imperantes, ex quibus foedus Rhenanum componitur, arma capiant defensusi suum territorium, ejusque inviolabilitatem propugnaturi. In locum 200,000 armatorum, quos Gallia in aciem educere tenetur, dabit 300,000, ideo mandavimus, ut copiae ad complendum hunc numerum necessariae publico cursu devehantur ad Rhenum inferiorem. Siquidem legiones Vestrae Majestatis usque hodie manserunt paratae ad bellandum, requirimus Vestram Majestatem, jubeantur sine mora una cum suppellectili castrensi proficisci ad defendendam communem causam. Eventus certe, ita speramus, respondebit justitiae causae, si tamen contra omnem nostram expectationem Borussia nos adegerit, ut vim vi repellamus. In reliquo rogamus Deum, velit Dominum Fratrem in suum sanctum, ac potens recipere patrocinium. Datum in Fano S. Clodoaldi 21. Septembris. 1806.

Napoleon.

Simile scriptum, ait Monitor Parisinus, missum est etiam ad Regem Württembergae, et alia ejusdem tenoris ad Magnum Ducem Montanum, ad Magnum Ducem Badensem, ad Magnum Ducem Hassum Darmstadiensem, ad Principem Primatem, et Collegium Principum Rhenani foederis.

Accessus Electoris, nunc jam Magni Ducis Herbipolitani ad foedus Rhenanum sequenti proclamatione confirmatus est:

Dei gratia, nos Ferdinandus, Regius Princeps Hungariae, et Bohemiae, Archidux Austriae, Magnus Dux Herbipolitanus, Dux Franconiae &c. &c.

Relatum nobis est, inter Ministrum negotiorum externorum Suae Majestatis Imperatoris Gallorum, et Regis Italiae, Ducem Beneventanum, et nostrum Legatum apud eandem Caesaream, et Regiam Majestatem residentem initam conventionem de nostro ad foedus Rhenanum accessu esse Parisiis subscriptam.

Quapropter non moramur eandem relationem universis nostris subditis notam reddere, et dum nobis reservamus jus uberiores dispositiones, tanquam consecutaria nostri ad foedus Rhenanum accessus vulgandi, interea declaramus, nos titulum Magni Ducis Herbipolitani ab hodierna die assumpsisse.

Noverint itaque omnia provincialia collegia, alisque Magistratus titulum Magni Ducis adhibere.

Haec nostra voluntas illico ubique publicetur.

Datum in nostro Palatio Herbipolitano
30. Septembris 1806.

Ferdinandus.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
praeter complures alios, libri venales
prostant:

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Asszonyoknak. 8. 1 fl. 30 kr. Charta scriptoria 2 fl.

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Posonyban 1805. 8-vo 18 kr.

Cétsényi Svastics Ignázt Magyarok' Historiája, három rézre metszett képekkel III. T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Wieland, Téli Rege. 8. Posonyban 1804. 20 kr.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luiszianai Pusztákon. Köve 45 kr. Posta papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.

Ars longaevae, hilarisque vitae 1805. 8. 1 fl.
Andromache, Bojaset und Iphigenie in Aulis. Drey Trauerspiele vom Racine; metrisch übersetzt von Ahrenhoff. 1804. 48 fr.
